

dam requiruntur duo testes, aut alias plena probatio. — Resp. II. Si causa resiliendi non est aliquod impedimentum dirimens, vel impediens, sed tantum facultatem præbet dissolvendi sponsalia, nec sola fama, nec testimonium unius etsi jurati, et omni exceptione majoris testis sufficit, sed requiruntur duo testes omni exceptione majores, vel alia æquivalens plena probatio. Gutierrez, loc. cit. n. 17; Sanchez, disp. 71, n. 7; Palao, loc. cit. n. 8; Coninck, dub. 11, concl. 4, n. 5; Perez, et alii contra Paludanum. Ratio est, quia in tali casu non agitur de vitando peccato futuro, ob quod solummodo sola fama, aut unius testimonium pro sufficiente probatione accipitur, cit. c. *Super eo*, et c. *Præterea*. Hinc ratiōne et causa hac cessante, recurrendum ad communem juris dispositionem, vi cuius ad probandum in præjudicium tertii semper requiruntur duo testes omni exceptione majores, aut æquivalens plena probatio, arg. l. *Ubi numerus*. 12, et l. *Jurejurandi*. 9, c. de *Testib.* juncto c. *In omni*. 4, et c. *Licet*. 23, de *Testib. et Attest.*

322. *Qui resiliit justa de causa proveniente ex alterius culpa, ad nullas tenetur huic impensas; quin potius hic obligatur illi ad expensas.* — Quæritur X. An ex justa causa resiliens a sponsalibus teneatur ad expensas ab altera parte factas in ordine ad futurum matrimonium, puta ad præparandam consuetam solemnitatem et pompam, ad procurandam dispensationem, ubi opus est, et similia? Resp. I. Quando justa causa resiliendi provenit ex culpa unius (quia v. g. fornicatur aut ex delicto infamiam contrahit, aut qui defectum, quem juxta n. 301, patefacere debuisset, inique abscondit, etc.) non tenetur pars altera ad ullas expensas. Bosco, p. V, disp. 12, sect. 2, concl. 14; Sanchez, lib. V, disp. 5, n. 33 et 34, cum communi et certa aliorum. Patebit conclusio ex sequenti, ubi dicemus juste resilientem etiam tunc non teneri alteri in expensas, quando causa dissolvendi absque culpa alterius supervenit. Interea hic addendum, quod secundum Sanchez, loc. cit. n. 34; Bosco, loc. cit. n. 270 et alii doceant, in casu, quo quis justa de causa proveniente ex alterius culpa v. g. fornicatione, resiliit, teneri hunc etiam resilienti in expensas. Ratio est, quia innocens tunc non libere, sed coacte ad evitandam infamiam, aut aliud damnum resiliit, cujus causam iniquam pars altera posuit;

consequenter sicut qui injuste resiliit, seu sponsalia injuste solvit, tenetur alteri in expensas; sic qui inique causat, quod alter resilire debeat, ad idem tenebitur.

323. *Neque tenetur ad expensas alteri, qui ex justa alterius causa proveniente resiliit.* — Resp. II. Qui ex justa causa resiliit, non tenetur alteri ad ullas expensas, etsi causa absque ulla hujus vel alterius culpa eveniat; puta, quia sponsus v. g. ingreditur religionem; vel quia alter absque culpa, injuria belli v. g. venit ad paupertatem, aut amittit membrum, etc. Bosco, loc. cit. concl. 14; Sanchez, loc. cit. n. 33; Castro Palao, de *Sponsal.* disp. 1, punc. 33, n. 2; Ledesma, de *Matrimonio*, q. 47, a. 5, dub. 2 et alii. Ratio est, quia juste resilientis non tenetur ad expensas ratione rei acceptæ, cum, uti supponitur, nihil acceperit: nec ratione damni injuste illati; quia juste resilienti utitur jure suo, consequenter injuste non nocet, nec alteri infert injuriam, arg. l. 55, ff. de *Reg. jur.* Nec ratiōne naturæ contractus; quia nupiam cautum reperitur in jure, quod juste resilientis a sponsalibus teneatur ad aliquas expensas. Quin potius natura hujus contractus de jure talis est, ut quævis pars contrahentium emergente causa possit licite resilire; quare sibi imputare debet, si quæ pars interea expensas facit, aut periculo damni se exponit, præsertim cum utriusque partis sit æqualis conditio; nam quævis pro libitu resilire potest; si justa emergat causa.

324. *Solvitur objectio.* — Objiciunt aliqui contra hanc conclusionem I. *Si pecuniam*. 5, ff. de *Condit. causa data*, ubi habetur, quod dans pecuniam alicui, ut iret Capuam, altero nondum profecto pœnitere quidem ac resilire possit, ita tamen ut teneatur solvere expensas, si quas propterea fecit profecturus: ergo etiam quamvis aliquis juste ac licite, sine culpa tamen alterius, a sponsalibus resilire possit, debet huic solvere expensas, si quas propterea fecit, præsertim, quia « non est ferendus, qui lucrum quidem amplectitur, onus autem ei annexum contemnit. » L. un. ff. *pro secundo*, in fine, c. de *Caduc. toll.* Nam « qui sentit onus, sentire debet et commodum, et e contra, » c. 55, de *Reg. jur.* in 6, consequenter si resilienti quis commodam sentit, sentire debet et onus in solvendi expensis.

Resp. negando, consequent. et paritatem inter casum nostrum, et eum qui in l. *Pe-*

ciam ponitur; quia in hoc non est æqualis contrahentium conditio, uti est in casu sponsalium; qui enim alteri pecuniam, ut iret, dedit, potest pœnitere, alter vero, qui pecuniam accepit, pœnitere non valet, sed cogi potest, ut erat, prout notat Glossa, ibid. §. *Sed cum*. In sponsalibus autem quivis sponsorum justa emergente causa resilire potest. Accedit, quod citato in casu l. *Pecuniam* adsit specialis juris dispositio, secus autem in casu sponsalium. (ADNOTATIO LXVII.)

## § IX.

## DE MATRIMONIO METU, AUT PER ERROREM, VEL DOLUM CONTRACTO.

Secunda rubricæ hujus tituli pars est de matrimonio: de quo ampla quidem examinanda occurreret materia. Verum quia, uti ab initio hujus tituli jam meminimus, totus hic liber quartus, ejusque tituli omnes viginti unus numero de matrimonio tractant, ac insuper theologi de eodem fusissime scribunt; hinc in præsentis titulo paucis de matrimonio adductis, ea, quæ pro foro externo serviunt, et ad canonistas spectant, in subsequentibus titulis examinabimus, ea vero, quæ theologis magis propria sunt, iis relinquemus.

325. *Metu gravi initum matrimonium est ipso jure nullum.* — Quæritur I. An matrimonium metu initum sit validum? Ante responsionem notandum, metum alium esse levem, alium gravem, alium juste, alium injuste, alium ab intrinseco, alium ab extrinseco incussum. Quæ omnia, sicut et naturam metus hic supponimus ex dictis lib. I, tit. XL, de *His, quæ vi metusve causa fiunt*. H. N.

Resp. ergo I. Matrimonium initum gravi metu cadente in virum constantem a causa libera in ordine ad extorquendum illud injuste incussum, est ipso jure nullum et invalidum. Sanchez, lib. IV, disp. 12, n. 18; D. Thom. in 4, disp. 29, q. un. a. 3 et ibi D. Bonavent. q. 1, n. 5; Scotus, in 4, q. un. § un. et teste Sanch. doctores utriusque juris, cum communi et certa theologi arg. c. *Cum locum*. et c. *Veniens*. 15, h. t. juncta Glossa, ibid. §. *Virum*. Ratio est, quia, cum matrimonium semel validum non amplius sit dissolubile, c. un. de *Voto*, in 6, et *Concilium Tridentino*, sess. 24, « de sacramento matrimonii, plena debet securitate gaudere,

ne per timorem dicat sibi placere, quod odit, et sequatur exitus, qui de invitis nuptiis solet provenire, » prout dicitur cit. c. *Cum locum*. 14, h. t.

326. *Si incutitur a causa libera, ab homine nempe.* — Dicitur autem notanter primo, si « causa libera, » id est ab homine; quia si a causa naturali, vel ab intrinseco proveniat timor gravis, v. g. mortis, incendii, aut alterius jacturæ gravissimæ bonorum, infamiae, et imo timore percussus quis matrimonium contrahit, validum est juxta communem, et certam, Sanchez, lib. IV, disp. 12, n. 3. Ratio est, quia tunc non impellitur homo ab homine, sed a seipso, qui matrimonium nemine urgente voluntarie eligit, ad evadendum periculum corporis, fortunæ, famæ, aut animæ. Infertur proin, matrimonium illud esse validum, quod quis init, quia timet, ne alias ob humoris abundantiam moriatur.

327. *Sive sit ipse nubere volens, sive alius.* — Cæterum non refert, an timor gravis a tali, qui matrimonio conjungi cupit, an vero ab alio homine, v. g. illius parente, fratre, consanguineo, amico, vel quocumque tandem incutiatur, Sanchez, loc. cit., num. 19; Pirhing, h. t., nu. 101, cum communi, arg. c. *Veniens*, 15, h. t. Ratio est, tum quia jura non tam in odium injuste incutientis timorem, quam in favorem libertatis matrimonii nullitatem istam statuerunt, arg. c. *Cum locum*, 14, h. t. quæ libertas æque læditur sive ab ipso cupiente nubere, sive ab alio metus gravis incutiatur. Tum quia metus, qui sufficit ad rescindendos alios contractus, sufficit ad irritandum matrimonium, ut cum Covarruvia, Navarro et communi docet Sanchez, lib. IV, disp. 6, num. 2. Atqui contractus alii rescindi possunt, per quemcumque metus inferatur, arg. l. *Si cum exceptione*, 14, § *in hac actione*, ff. de *eo quod metus causa* et amplius docet Sanchez, lib. IV, disp. 8, num. 7.

328. *Dummodo incutiatur in ordine ad extorquendum matrimonium.* — Dicitur secundo. « In ordine ad extorquendum matrimonium; » quia, si non ad hunc, sed ad alium finem metus etiam gravis et injuste incutiatur, validum est matrimonium, quod ex illo contrahitur. Sanchez, lib. IV, disp. 12, num. 3, dicens, esse certissimam apud omnes; Innocentius, in c. *Cum locum*, h. t., num. 2; Butrius, in c. *cum locum*, h. t. nu. 11, et ibi Præpositus, n. 12; Abbas, n. 9,

cum communissima aliorum, arg. c. *Cum locum*, et c. *Veniens*, h. t. ubi non nisi ille metus allegatur, qui in ordine ad extorquendum matrimonium injuste incutitur. Ratio est, tum quia uti num. 326, jam dictum, in tali casu nullus ab ipso exigit matrimonium, sed ipsemet timens voluntarie illud eligit ad evitandum malum, quod timet. Tum quia contraria opinio nequiquam certa, sed summe dubia est: in dubio autem standum est pro valore matrimonii ob specialem ejus favorem arg. c. fin. *de Sentent. et re judicat.* et c. fin. *de Condit. apposit.* ergo.

329. *Injuste.* — Dicitur tertio. « Injuste incusso »; etsi enim metus a causa libera, et in ordine ad extorquendum matrimonium incutatur, si tamen id non injuste, sed juste ac legitime fit a iudice ecclesiastico, v. g. excommunicationem alicui minitante, nisi matrimonium contrahat cum tali, cui illud revera promisit, omnino valebit matrimonium tali metu initum. Sanchez, loc. cit., disp. 13, n. 3; Abbas, in c. *Veniens*, h. t. n. 8, et ibi Ancharanus, n. 6, cum communi et certa aliorum, *per jura*, n. 152, citata et l. *Continet*, 3, § 1, ff. *Quod metus causa*. Ratio est, tum quia justus metus non tam a iudice, aut alio homine, quam ab ipso incutitur jure aut lege volente, ut in certis casibus et circumstantiis sub minis et pœnis obligati ad matrimonium adigantur. Tum quia jura non cuncta irritant matrimonia metu inita, sed metu injuste incusso inita; non obstante, quod etiam per hunc minuatur libertas: quandoquidem sive juste sive injuste minuitur: sicut a pari licet alias contractus alii metu celebrati rescindi valeant, per dicta supra n. 327, tamen si metus juste incutitur, rescissionem contractus jura non permittunt, arg. l. *Continet*, et l. *Mulier*, ff. *Quod metus causa*.

330. *Levis metus qualitercumque incussus non irritat matrimonium. Metus levis non habetur pro metu.* — Resp. II. Matrimonium metu levi etsi injuste, et ad extorquendum illud incusso contractum valet, Sanchez, lib. IV, disp. 17, nu. 3; Covarruvias, *de Sponsal.*, part. I, cap. III, § 4; Abbas, in c. *Consultationi*, h. t. n. 3; Menochius, *de Præsumpt.*, lib. III, *Præsumpt.*, 4, num. 3; Bosco, part. V, disp. 11, sect. 7, concl. 7, cum communi, arg. c. *Veniens*, et c. *Consultationi*, 28, h. t., ubi requiritur, quod metus sit talis, qui « cadere possit in virum constantem, » gravis nempe; ergo a sensu con-

trario, ubi metus talis non est, sed levis tantum, matrimonium valebit. Ratio est, tum quia metus levis non est metus, l. *Nec timorem*, ff. *de Eo, quod metus causa*, et l. *Vani*, 184, ff. *de Reg. jur.*; tum quia alias plurima matrimonia vel essent nulla, vel dubia, et non paucis anxietatibus subjecta, cum plurima ex levi metu fiant. Confirmatur a simili in professione religiosa, quæ quoad indissolubilitatem matrimonio similis, solo metu levi non irritatur, arg. c. 1, II et penult. *De eis, quæ vi metusque causa*.

331. *Levis metus, vel gravis quando censetur?* — Quando nam autem metus censendus sit gravis, et quando levis, iudicis arbitrio decidendum relinquitur, nisi in jure expressum quid habeatur, arg. lib. III, ff. *Ex quibus causis*, ibi: « Sed non sufficit, quolibet terrore adductum fuisse; sed hujus rei disquisitio iudicis est. »

332. *Metus reverentialis an irritet matrimonium?* — Num vero, et quando metus reverentialis erga parentes causet metum gravem cadentem in virum constantem, vide dicta lib. III, tit. XXXI, *de Regul.* § 6, a n. 163, ubi uberius declaratum habetur, quando nam talis metus sufficiat ad invalidandum professionem. A matrimonio enim spirituali, utpote etiam insolubili arg. c. *Cum ad monasterium, de Regular.* in 6, valet argumentum ad matrimonium carnale per vulgaria.

333. *Matrimonium ex metu invalidum, validatur per subsequentem copulam sponte habitam.* — Quæritur II. An matrimonium metu gravi injuste incusso initum, consequenter nullum, validetur per subsequentem copulam, vel cohabitationem? Resp. I. Si post matrimonium metu injusto extortum sequitur copula sponte, affectuque maritali (id est animo conjugaliter vivendi) omnino validatur matrimonium. Sanchez, lib. IV, disp. 18, num. 2; Bosco, loc. cit., concl. 10, num. 483; Abbas, in c. *Consultationi*, h. t., num. 7; et ibi Glossa communiter recepta, arg. c. *Ad id.* et cit. c. *Consultationi*, 27, h. t., ubi dicitur, quod, si mulier ante copulam admissam objicit metum, audienda sit; ergo post illam admissam audienda non est. Et clarius c. *Insuper*, 4. *Qui matrimonium accuare*, ubi Summarium sic habet: « Invita desponsata, postea sponte cognita, contra matrimonium non auditur. » Ratio est, quia per talem copulam sufficienter exprimitur consensus, arg. cit. c. *Insuper*, ibi: « *Consensit ex rati habitatione.* »

334. *Secus per copulam metu extortam.* — Resp. II. Si copula carnalis non sponte ac libere, sed ex metu gravi subsequitur, matrimonium non validatur, Sanchez, loc. cit., n. 15; Bosco, loc. cit.; Abbas, loc. cit.; Sylvester, §. *Matrim.*, 8, q. 11, dicto 5. Navarrus, cap. XXII, num. 51, ad finem, cum communi aliorum. Ratio est, quia deest spontaneus a metu gravi liber consensus, qui ad valorem matrimonii omnino requiritur, arg. c. *Veniens*, il. 2, et c. *Cum locum de sponsal.* si enim expressus consensus metu gravi extortus non sufficit ad valorem matrimonii, multo minus valebit tacitus per copulam habitus, si pari extorquetur metu, « arg. a majori ad minus, quod valet in jure per vulgaria. »

335. *Solvitur obiectio ex jure.* — Objiciunt adversarii, c. II, *de eo qui duxit in matrimonium*, c. *Insuper*, 4. *Qui matrimonium accusar.* etc. *Ex litteris de Despons. impub.*, ubi absolute statui videtur, post copulam subsequentam nullum amplius esse audiendum. Resp. allegatas juris dispositiones vel expresse loqui de spontanea copula affectu maritali habita, vel de eadem intelligendas esse ob rationem num præced. allegatam. Ordinarie tamen in foro externo præsumitur, copulam habitam esse sponte et affectu maritali, nisi contrarium probetur, arg. c. *Is fides*, 30, h. t.

336. *Item validatur per spontaneam cohabitationem.* — Resp. III. Matrimonium ratione metus invalidum evadit etiam validum per spontaneam cohabitationem, Sanchez, l. IV, disp. 18, n. 3; Barbosa, in c. *Ad id.*, 21, h. t., et ibi Abbas, Innocentius, Joan. Andreas, ac doctores communiter, arg. cit. c. *Ad id.*, h. t. Ratio ibid. additur, quia nempe sponte ita cohabitans, affectu conjugali cohabitare, sicque consentire censetur, ibi: « Quia postmodum per annum dimidium cohabitans consensisse videtur. »

337. *Ad quam tamen requiritur I, ut pars metum passa prius sciat, matrimonium fuisse nullum.* — Resp. IV. Ad hoc, ut per copulam, vel cohabitationem matrimonium ratione metus invalidum ratificetur requiritur I. Ut pars metum passa sciat, matrimonium fuisse nullum. Sanchez, loc. cit., n. 5, et amplius lib. II, disp. 34, n. 2, ac disp. 36, n. 2; Sylvester, §. *Matrimonium*, 5, q. 10; Navarrus, cap. XXII, n. 276; Pirhing, h. t., n. 113, et alii. Ratio est, quia nihil tam contrarium consensui, quam error, l. *Si*

*per errorem*, ff. *de Jurisdic. omn. judic.*, hic revera intervenit, dum pars metum passa putat se valide in matrimonio jam existere, et propterea carnaliter copulatur, ac cohabitatur, id forsitan non factura, si sciret, aut scivisset matrimonium invalidum esse. Quomodo autem nihilominus tale matrimonium ratificari possit, dicemus in appendice.

338. II. *Ut copula vel habitatio ex parte ejus sit spontanea.* — II. Requiritur, ut copula, vel cohabitatio sit spontanea, Sanchez, loc. cit., n. 7 et 12. Mascardus, *de Probat. concl.* 153, n. 36; Bosco, loc. cit., disp. 11, sect. 7, concl. 10; Pirhing, loc. cit., cum communi. Et quidem de copula jam patet ex dictis num. 334. De cohabitatione autem eadem, quæ de copula, ratio est, videlicet, quod, quando cohabitatio spontanea non est, liber consensus ad matrimonium requisitus desit, etiamsi talis cohabitatio longo tempore duret, Sanchez, loc. cit., numer. 7, et alii ab eodem ibi relati, arg. c. *Non firmatur de Reg. jur.*, in 6. Censetur autem esse spontanea, si cessante causa metus sponte adhuc cohabitatur, dum fugere, ac discedere, aut reclamare commode potuisset. Quando enim metus adhuc durat, aut cessavit quidem, metum passa pars tamen fugere, ac reclamare commode non potuit, spontanea non erit, Sanchez, loc. cit., cum communi, arg. cap. I, *De iis, quæ vi metusque causa*, et ibi Abbas, Hostiensis, et Innocentius.

339. III. *Ac habitatio sit diuturna quoad forum externum. Tempus requisitum a jure non determinatum, iudicis arbitrio determinatur.* — III. Requiritur, ut cohabitatio, si sola absque copula est, sit diuturna, ita ut secundum prudens iudicis arbitrium merito desumi possit, eam affectu conjugali fuisse continuatam. Sanchez, loc. cit., n. 6; Pirhing, h. t., num. 113; Abbas, in c. *Ad id.* 21, h. t., n. 4 et alii communiter. Ratio est, quia quodcumque tempus requisitum non determinatur a jure, arbitrio iudicis determinandum relinquitur, c. *De causis*, 4, *de Offic. delegat.*, et l. I, ff. *de Jur. deliber.*, ibi: « Cum dicit tempus, nec adjicit diem, sine dubio ostendit esse in jus dicentis potestate, quem diem præstituat. » Nec obest cit. c. 21. *Ad id.* h. t., ubi « annus cum dimidio » requiri videtur. Nam contra est, quod ibid. tantum narretur species facti, et non fiat dispositio juris; prout doctores communiter observant, et patet legendi textum.